

Ks. Michał Sołomieniuk

Gniezno

e-mail: archiwum@archidiecezja.pl

DOI: <http://dx.doi.org/10.12775/BPTh.2015.004>



8 (2015) 1 ISSN 1689-5150

Zeno Veronensis quid de resurrectione senserit

Zeno of Verona on resurrection

Streszczenie. Zenon, biskup Werony († 380) jest autorem zbioru 96 kazań i komentarzy liturgicznych. Druga homilia pierwszej części zbioru (I, 2) jest poświęcona kwestii zmartwychwstania. Nauczanie Zenona w tej kwestii ma charakter antropologiczny i eschatologiczny, czyli dotyczy przyszłego losu człowieka. Autor niewiele miejsca poświęca sprawie zmartwychwstania Chrystusa czy zagadnieniom filozoficznym, np. naturze ciała po zmartwychwstaniu. Argumentacja Zenona zaczerpnięta została z Biblii, z rozumu, z natury i z filozofii. Z literatury klasycznej autor powołuje się na VI księgę Eneidy Wergiliusza. Pojęcie zmartwychwstania jest u Zenona niejednoznaczne. W niektórych miejscach jest tak określany stan pełnego szczęścia zbawionych (sens moralny), w innych zaś „zwykła” restytucja ciała na Sąd Ostateczny (sens ontologiczny). W jeszcze innym miejscu Zenon twierdzi, że jest ono nagrodą wyłącznie dla sprawiedliwych, pomija przy tym objaśnienie losu potępionych.

Abstract. Zeno, bishop of Verona († 380) is author of a collection of 96 sermons and liturgical commentaries. His teaching on resurrection is mainly contained in the sermon signed I, 2 – it is in the second sermon of the first part of his collection. His teaching is anthropological and eschatological, concerning the future destiny of the mankind. The author does not deal much with the resurrection of the Christ, nor with the philosophical questions, such as the nature of the human body after the resurrection. The Zeno's argumentation draws from the Bible, the reason, the nature and the philosophy. From the classical literature Zenon revocates only one work: the Vergil's Eneid (book VI). The meaning of resurrection by Zenon is not unambiguous. In some places resurrection denotes a state of the perfect happiness of the saved people (the moral meaning), in other is a simple “restitution” of the bodies, necessary for the Final Judgment (the ontological meaning). In another place Zeno states that the resurrection is an award for the right people and he does not explain the destiny of the damned people.

Słowa kluczowe: Zenon z Werony; zmartwychwstanie; liturgia paschalna.

Keywords: Zeno of Verona; resurrection; paschal liturgy.

Praefatio

In traditione philosophica Graeca atque in narrationibus fabulosis, quamvis de nova quadam animarum incorporatione hic illic dicatur, numquam de corporum resurrectione ut exitum petendum aeternumque. Mens est propria Christianorum corpus humanum glorificationi eschatologicae interfuturum¹. Quapropter resurrectionis mens et quaestio generationi cuidam Christianorum argumentum est vivum magnique momenti. Est enim quaestio ad pervestigandum inspirans Christi atque hominis mysterium. Hoc in commentario perscrutari conabimur quod et quomodo de resurrectione praedicaverit Zeno Veronensis – episcopus qui vixit floruitque saeculo IV p. Ch. n. et ad «scriptores circa Ambrosium» annumeratur². Verisimile videtur Zeno officio episcopi Veronensis annis 360–380 functus esse³. Octavus praesul civitatis suae fuit. Vir doctus Andreas Bigelmair putat patriam eius Africam fuisse⁴. Opus Zenonis duabus in partibus ad nos pervenit. Editor criticus aetatis nostrae, B. Löfstedt⁵, eos in 94 tractatus distribuit, ex quibus 20–25 sermones completi, 16 mutili, ca. 50 adnotationes brevissimae inspiciuntur. Ergo, solummodo tertia pars completa est, alii vero sermones summaria videntur, forsitan a notariis facta. Probabiliter credere potes partem quandam tractatum scriptorem ipsum correxisse, quia meliorem artem dicendi reddent. Non est excludendum corpus operum post mortem auctoris ad usum liturgicum perfectum esse. Plerique sermones argumenta de Vetere Testamento tractantes rationem exegeticam adhibent. Immo, in homiliis quae alia argumenta explanant, nonnumquam fragmenta personis eventibusque Veteris Testamenti dicata reperire potes. Interpretatio procedit iuxta traditionalem typologiam, ubi Iona, Iacob, Iob Christi *typi* sunt. In collectione Zenoniana sunt quoque homiliae de avaritia, de continentia etc., id est de moralibus virtutibus et vitiis quae argumenta scriptor videtur sane praediligere. Animadvertendum est Zenonem saepe luctationi cedere, adversus

¹ Cfr J. Danielou, *La Résurrection*, 102 seqq. et H. Grass, *Auferstehung, Historisches Wörterbuch*, t. 1, 616: „Auferstehung ist ein religiöser und theologischer, kein philosophischer Begriff”.

² Hoc argumentum compendiose tractavi in commentario Polonice conscripto quod inscribitur *Chromacjusz z Akwilei*, 45–67.

³ Cfr M. Simonetti, *Zenone di Verona*, in *Nuovo Dizionario*, t. III, coll. 5707–5708.

⁴ Cfr A. Bigelmair, *Allgemeine Einleitung*, 20–25.

⁵ Cfr *Zenonis Veronensis Tractatus*, ed. B. Löfstedt, CCSL 21, 1971 (hanc editionem in hoc commentario laudo). Aliam divisionem praebet vir doctus Carolus Truzzi, sermones dividens in scripturales, liturgicos et ad argumentum, cfr C. Truzzi, *Zeno, Gaudenzio e Cromazio*, 99–100.

veros seu fictos inimicos. Exstant deinde pauci sermones doctrinales quibus Zeno theologiam Trinitariam Niceanam declarat, etiamsi terminum *consubstantialis* non usurpet. In hoc genere sermonum doctrinalium de Christi natiuitate atque resurrectione, de fide, spe et caritate, de sacrificiis auctor inquit. Zenonis de resurrectione sententia plane in tractatu-sermone I, 2⁶ invenitur. Ergo animum nostrum in hunc sermonem praecipue intendimus, interdum referentes quod aliis in locis Zeno scripserit. Quod ad argumentum, tractatus I, 2 cum tractatu I, 35 coniecti potest, quia uterque “de novissimis” tractat. Sunt sermones anthropologici plus quam Christologici cum destinationem hominis agitent⁷. In collatione Zenoniana mentionem resurrectionis profecto in aliis quoque “tractatibus” reperimus ex. g. in praefationibus paschalibus nec non homiliis vel homileticis adnotationibus (“Tractatus Paschae”)⁸. “tractatus I, 2 hoc pacto examinandi sunt: primum dispositio demonstranda est, deinde mens theologica et fontes Christiani, postea hereditatis classicae vestigia sunt eruenda, in fine notiones quaedam de arte stilistica et rhetorica danda.

1. Tractatus I, 2 dispositio

Tractatus-sermo sine exordio exhibetur et mox in medias res nos inducit. Thesis ponitur: *Quisquis resurrectionem negat, vitam suam, semetipse condemnat*⁹, et argumenta sequuntur de resurrectione corporum immortalitateque animarum. Tractatum hoc modo disponere possumus:

1. *Propositio* – de animae immortalitate et corporum futura resurrectione (v. 1);
2. *Confirmatio* – ad animarum immortalitatem probandam (v. 2–14):
 - (a) Philosophorum poetarumque opiniones (v. 2–4),
 - (b) Dei magisterium: exorcismi, exempla de Sacra Scriptura deprompta: Saul, transfiguratio Domini, beatus Lazarus et dives condemnatus, latro poenitens, mater Machabaeorum (v. 5–12),
 - (c) Exemplum negativum: nimius luctus post mariti mortem (v. 13–14),
 - (d) Dei omnipotentia (v. 15–16),
 - (e) Exempla de natura deprompta: solis cursus, stellarum post occasum ortus, lunae cyclus, Phoenix, semen in terra conditum (v. 17–22),
 - (f) Iustorum et impiorum in resurrectione distinctio (v. 23),

⁶ id est in secundo sermone primae collectionis partis.

⁷ Cfr. G. Sgreva, *La teologia di Zenone di Verona*, 357.

⁸ De liturgia Paschae apud Zenonem vide G. Jeans, *The Paschal Liturgy*, 375–379.

⁹ Zeno, *tr. I*, 2,1.

(g) Corporis identitas et natura (v. 23–30).

3. *Conclusio*: Christi ipsius exemplum et futurae beatitudinis promissio (v. 31–32).

Huiusmodi dispositio dumtaxat verisimilis est, quoniam scriptor ipse haud perfecte dispositionem classicam secutus est. Ex. g. confirmationis elementa cum elementis confutationis permiscetur et pars postrema, *conclusio* a nobis appellata, quodam modo et ad confirmationem pertinet. Deinde quaestio inter iustos et impios distinctionis argumentum quoddam novum videtur.

2. Quaestiones lexicales¹⁰

Enumeramus voces quae ad resurrectionem spectant¹¹:

- nomen *resurrectio* (tr. I, 2, 1.2.13.14.20.22.24);
- verbum (*re*)*surgere* (tr. I, 2, 2.3.11.12.14.17.22.23.25.29);
- verbum *excitare* (tr. I, 2, 15.26.28.31);
- participium *resurgens* (tr. I, 2, 27);
- verbum *revivescere* (tr. I, 2, 19.22);
- verbum *vivificare* (tr. I, 2, 22) – laudatur 1 Cor 15, 36.

Maxima ex parte hae voces referuntur ad Christi fidelium futuram, rarius ad Christi historicam resurrectionem. Zeno plerumque hominum resurrectionem *felicitatem futuri temporis*¹² appellat et his complementis circumscribit: *carnis*¹³, *mortuorum*¹⁴, *futura*¹⁵. Animadvertendi sunt loci, quibus supra enumeratis vocibus phaenomena naturae communia describuntur:

[stellas] *redivivi luminis lege suis sedibus resurrexisse agnoscas*¹⁶; [oleaster] *hospitis germinis adoptiva pinguedine absumptus, immo pinguedo ipse factus, totusque acceptum translatus in honorem novae frondis promotione ramis resurgenscentibus*¹⁷ *ornatus iam non oleaster sit, sed oliva*¹⁸; [luna] *sua morte revivescens, menstrualis*

¹⁰ De origine et usu verborum novorum apud Christianos cfr F.A.C. Mantello, A.G. Rigg, *Medieval Latin*, 143–144.

¹¹ Laudationes ex Sacra Scriptura includuntur.

¹² Zeno, tr. I, 2, 1.

¹³ Cfr ibidem, I, 2, 24.

¹⁴ Cfr ibidem, I, 2, 22 – laudatur 1 Cor. 15, 42.

¹⁵ Cfr ibidem, tr. I, 2, 2.13.

¹⁶ Ibidem, I, 2, 17.

¹⁷ Hoc participium *hapax legomenon* esse videtur. Verbum *resurgenscentibus* senioris Latinitatis proprium esse censetur, cfr V.Väänänen, *Introduzione al latino volgare*, 236–237.

¹⁸ Zeno, tr. I, 2, 27.

*ignis solenni germine accenso sumat rursus de fine principium*¹⁹; *granum uniuscuiusque frumenti conditum terrae interit et tamen in eo id, quod intus est, revivescit nec mortem medullitus capit*²⁰.

In praecedentibus subsequentibusque verborum ambitibus eadem voces significationem proprie Christianam, theologiam habent. Quapropter descriptiones naturae apud Zenonem veritati theologicae apte consonant.

Item animadverti debet locus quo verbum *excitare* aliam ac resurgere significationem habere videtur: *Igitur si homo potest facere, ut sit arbor quod non fuit, salvo quod fuit, quanto magis Deus hominem poterit excitare, antequam peccasset in paradiso, in id quod fuit!*²¹. Vox *excitare* hic significat idem ac ‘perducere aliquem ad honorem’, vel ‘evehere ad dignitatem’. Re vera, si futuram resurrectionem consideremus, eam non solum corpora vivificare sed etiam spiritaliter ea ad sublimiorem vivendi modum provehere censemus.

3. Sermonis mens theologica

Zeno, ante quam resurrectionis argumentum proponat, sub initio tractatus I, 2 de morte hominis agit. Episcopus Veronensis loco quodam mentem unam cum Platone perhibetur, mortem enim corporis ut liberationem animae et verae initium vitae exhibens²². Ceteroqui, peccati originalis memor, mortem physicam separationem corporis animaeque esse docet. Anima enim vestem corporis relinquit: *Igitur primo omninum probandum puto animas nostras suorum corporum exuviis exui...*²³. Hic evenit mors prima qua corpus dissolvitur, anima vero servatur. Ad mentem Zenonis, animae post mortem discriminantur *pro qualitate factorum* et pars quaedam eorum *locis poenalibus*²⁴ relegatur, pars reliqua vero *placidis sedibus* refovetur donec resuscitent corpora. Existit ad mentem episcopi Veronensis status quidam intermedius, inter mortem scilicet et resurrectionem. Itaque iudicium divinum non evenit post mortem ipsam sed in fine temporum.

Non est facile discernere utrum Zeno magis resurrectionem corporum an animae immortalitatem defendat confirmetque. Immortalitas etenim non ut

¹⁹ Ibidem, I, 2, 19.

²⁰ Ibidem, I, 2, 22.

²¹ Ibidem, I, 2, 28.

²² Cfr G. Sgreva, *op. laud.*, 363.

²³ Zeno, *tr.* I, 2, 2.3.

²⁴ Ut supra.

habitus explanatur, sed instar premii pro piis Christianis. Immortalitatem non esse pro omnibus sed pro electis episcopus censet. Ex morte resurrectioneque Christi enim donum oritur immortalitatis²⁵ quod ab hominibus ut “semen” in Baptismate per Spiritum Sanctum accipitur²⁶.

Cur resurrectio necessaria est? Duas rationes ad hoc argumentum spectantes Zeno adducit, iudicium nempe universale venturum et Dei potestatem creatricem. Novissima die mortui iudicabuntur eodem in statu quo ante mortem vixerint, id est in corpore. Testatur Zeno: *Christianus ergo in toto dubitare non potest in statum pristinum mortuos excitari talesque legitima die ante conspectum Dei ex illo naturae secreto produci, quales fuerint pro sua qualitate suscepti...*²⁷. Ad iudicium corpus postulatur, proinde creatio eius quaedam nova expectatur. De novo vero corpora creare facilius est Deo quam ex nihilo omnia creare: *...facilius est reformari quod fuerit quam institui quod ante non fuit*²⁸.

Nunc rationes afferamus quae ad mentem Zenonis demonstrant animas immortales et homines resurrecturos esse. In primis episcopus exempla ex vita quotidiana exponit ut refrigerium quod mortuis suis gentiles parant quamvis in vitam post mortem non credunt²⁹. Deinde exemplum exorcismorum adducit. Hic animadvertendum est Zenonis iudicio in exorcismis a Iesu factis non daemones sed animae mortuorum eiectas esse.

Praesul Veronensis perpauca spatium directe philosophiae dedicat: *Philosophi de anima varia disserunt, sed tamen hanc esse immortalem et Epicuri, Dicaearchi Democritique vanitatem argumentatione manifesta convincunt*³⁰. Ex poetis sexies Vergilium laudat.

Testimonia ex philosophis nec non poetis exempla stricte Biblica introducunt, in sermonis dispositione iam enumerata. Ex his exemplis depromere possumus, quod mortui cum vivis in communionem manent (e. g. Sauli casus); quod oculis animae videre licet ea quae corporis oculi non cernunt (e. g. Domini transfiguratio ubi Moyses cum Elia apparent; de Lazaro paupere parabola), quod post mortem cum Christo in paradiso vitam degere aeternam possumus (e.g. latro in cruce poenitens).

²⁵ Cfr ibidem, I, 2, 11 et tr. I, 15, 9: *Iob et sanitatem recepit et facultates; at Dominus resurgens non sanitatem tantum, sed immortalitatem in se credentibus praestitit dominiumque totius naturae recuperavit.*

²⁶ Cfr ibidem, I, 2, 26.

²⁷ Ibidem, I, 2, 15.

²⁸ Ibidem, I, 2, 16.

²⁹ Ibidem, I, 2, 16.

³⁰ Ibidem, I, 2, 4.

In fine episcopus Veronensis argumentum Christologicum et soteriologicum proponit: *Sed homo ipse quem Dominus assumpserat, perit, si Iesus non resurrexit. At si resurrexit, humano generi formam dedit, quoniam ad hoc Deus pro homine mortis iura gustavit, ut homo per Deum ius immortalitatis reciperet, quod amisit*³¹. De huiusmodi sententia intellegi potest, resurrectionem Christi perennem effecisse humanitatem eius, homini vero immortalitatem rursus donavisse. Communicationis idiomatum gratia privilegia, quae vivificatus Christus consecutus est, super omne humanum genus effusa sunt.

Item, ad eius mentem duplex erit resurrectio ventura, resurrectio scilicet sanctorum atque impiorum. Post resurrectionem iudicabuntur solummodo Christiani “tepidi”, qui degunt in media via inter sanctos atque impios, sancti enim iam ad beatitudinem, impii vero ad poenam aeternam destinati sunt.

Qualem carnem habebit homo post resurrectionem? Ad mentem Zenonis aliam redemptus, aliam vero condemnatus. Caro redemptorum resurgere coepit in Baptismate, opera Spiritus Sancti, et angelis similis fit in pristinum statum die retributionis perfecte revertens. Carni vero peccatorum semen satanae inest. Qui in terra ut fera vixit, ut fera peribit³².

Quomodo corpora resurrectura discerni possunt? Eadem erunt ac ante mortem? Zeno hanc quaestionem hoc modo respondet: *in corporibus nostris, dum mortis lege seminantur, non substantiam, non imaginem, sed illud tamen quod inutile est discuti, quod teritur demutari... Aliter etenim immortalitatis stola illa non sumitur, nisi primo quod carnale spoliium, blandum animae venenum, secundum Dei sententiam, unde sumptum est, refundatur*³³. Hic non explanatur modus quo corpora cognoscentur sed affirmatur quod non omnis caro morte deleatur. Forsitan scriptor spirituales quandam transformationem in mente habuit.

Omnis sapientia paganorum verbis *ingeniosa suspicio*³⁴ complectitur quibus auctor hereditatem classicam praeparationem quandam Evangelicam agnoscere videtur.

4. Fontes: Sacra Scriptura et Patres

In ordine selectioneque argumentorum Zeno Patrum traditionem sequitur. Studebimus fontes sententiarum Zenonis declarare, non omnes tamen, quia

³¹ Zeno, *tr.* I, 2, 11.

³² Ibidem, I, 2, 23.25.

³³ Ibidem, I, 2, 30.

³⁴ Ibidem, I, 2, 3.

plurimi, sed eos quos maioris momenti ducimus. Plerumque mentem d. v. Ioannis Sgreva sequimur³⁵.

In numero quaestionum crebre atque a multis Patribus agitarum est status intermedius, id est sors animarum post mortem ante resurrectionem. Patres, ut patet, non idem de hac quaestione declarabant. Zeno de locis poenalis atque placidis sedibus docens idem cum Tertulliano³⁶ atque Lactantio³⁷ consonare videtur. Significatio resurrectionis incerta iam penes Lactantium est inter sensum morale³⁸ et ontologicum³⁹.

Zeno, ad mentem Tertulliani, rationem declarat inter resurrectionem et iudicium universalem novissimi diei, iudicium nempe postulat ut homo in corpore iudicetur. Afirmat scriptor Carthaginensis: *Licet enim [corporis membra] officiis liberentur, sed iudiciis detinentur, ut quis<que> referat per corpus prout gessit. Salvum enim hominem tribunal Dei exigit; salvum vero sine membris non licet [enim], ex quorum non officiis sed substantiis constat, nisi forte et navem sine carina, sine prora, sine puppi, sine compaginis totius incolomitate saluam adseverabis*⁴⁰.

Aliud argumentum, ex Dei scilicet omnipotentia, iam a Iustino adductum cernimus. In priore enim Apologia legimus: καὶ τὰ νεκρούμενα καὶ εἰς γῆν βαλλόμενα πάλιν ἀπολήψεσθαι ἐαυτῶν σώματα προσδοκῶμεν, ἀδύνατον μηδὲν εἶναι Θεῷ λέγοντες⁴¹, Tertullianus autem firmiter confitetur: *Sed Deo nihil impossibile nisi quod non vult*⁴². Patres, ut e. g. Irenaeus, Tertullianus atque Lactantius, saepe declarabant resurrectionem ut reformationem rerum antea existentium, faciliorem quam ex nihilo creationem⁴³. Generatim vis rationum Zenonis analogiam in opere Irenaei habet cui titulus *Adversus Haereses*.

Quod ad exempla ex Scriptura additinet, Zeno quoque priscam traditionem Christianam sequitur. Fragmentum ex 1 Reg 28 (ubi Saul post mortem apparet) ad mentem Origenis declaratur qui hoc in loco verba ad litteram in-

³⁵ Cfr G. Sgreva, *op. laud.*, 361–403 passim.

³⁶ Cfr Tert., *de an.* VII, 1–4.

³⁷ Cfr Lact., *inst.* VII, 7, 13.

³⁸ Sensus moralis resurrectionis hic opinionem ostendit resurrectionem praemium pro iustis esse; sensus autem ontologicus significat opinionem corporum resurrectionem omnes homines adepturos esse.

³⁹ Cfr Lact., *ibidem*, VII, 8, 1 seqq.

⁴⁰ Tert., *res.* 19, 60, 28 (CSEL 47, 121), cfr Irenaei *adv. haer.* I, 10, 1; II, 16, 6.

⁴¹ Iust., *1 apol.*, 18, 6 (Sch 507, 180).

⁴² Tert., *de car.* 3,1(Sch 216, 216).

⁴³ Cfr G. Sgreva, *op. laud.*, 381–382.

tellegit⁴⁴. Locus de transfiguratione ante Zenonem penes Hilarium Pictaviensem usurpatus est in *Commentario in Matthaeum* 17, 2–3. Exemplum vero de Lazaro apud Tertullianum⁴⁵ invenitur. Econtra, Zeno primus esse videtur qui exemplum boni latronis (Lc 23, 43) ad animae immortalitatem applicat. Inter reliqua Biblica fragmenta reperitur Ez 37, 12.14, iam a Tertulliano usurpatum ad resurrectionem carnis probandam.

Item in documentis ex natura episcopus Veronensis semitam praecedentium Christianorum scriptorum sequitur. Seriem exemplorum huius generis Clemens Romanus in *Epistula ad Corinthios* adducit, cui consentit Tertullianus⁴⁶, nec non Lactantius⁴⁷ et Minucius Felix⁴⁸. Zeno enim, avem Phoenicem describens, prae oculis carmen cui titulus *De ave Phoenice*, Lactantio tributum, habere videtur. Iuvat frustula quaedam huius carminis adducere:

*Construit inde sibi seu nidum, sive sepulchrum:
Nam perit ut vivat, sed tamen ipsa creat (vv. 77–78).
Interea corpus genitali morte peremptum
Aestuat, et flammam parturit ipse calor;
Aethereoque procul de lumine concipit ignem:
Flagrat et ambustum solvitur in cineres.
Quos velut in massam cineris in morte coactos
conflat, et effectum seminis instar habet (vv. 95–100)⁴⁹.*

Duplicis resurrectionis (iustorum scilicet iniustorumque) originem in sacra Scriptura invenis, inter priscos auctores Christianos vero apud Lactantium: *Tunc etiam impii resurgent, non ad vitam, sed ad poenam*⁵⁰. Triplicem autem divisionem iniustorum episcopus Veronensis ex Hilario arcessivit qui inter mortuos discernit impios, peccatores (id est “tepidos” Christianos) et fide carentes paganos⁵¹. Opinio ipsa, quod scilicet soli peccatores iudicandi sunt, communis IV saeculo in Occidente fuit et invenitur in Hilario, deinde in Ambrosio et in *Ambrosiastro*⁵².

⁴⁴ Cfr Orig., *hom.* 2, 19 in 1 Reg..

⁴⁵ Cfr Tert., *anim.* 7, 1–7; 58, 1.

⁴⁶ Cfr Tert., *res.* 12.

⁴⁷ Cfr Lact., *inst.* VII, 6–7.

⁴⁸ Cfr Minucius, *oct.* 34, 11.

⁴⁹ Lact., *de ave* 77–78. 95–100 (CSEL 27, 140.141–142).

⁵⁰ Lact., *epit.* 67, 8–9 (SCh 335, 268).

⁵¹ Cfr Hil. Pict., in *Ps.* 1, 20–24, ubi Ps. 1, 5–6 examinatur.

⁵² Cfr G. Sgreva, 395. Zeno cum Hilario una dicit: *eximit iudicio fideles, non admisit ad iudicium infideles* (Zenonis *tr.* I, 35, 2; Hilarii in *Ps.* 1,21), idem ait Ambrosius in *in Ps.* 1, 56.

Qualitatem corporum redivivorum, hominum tantum iustorum, iuxta exegesisin Tertulliani⁵³ et Gregorii Nyssensis⁵⁴ explanat. *Caro et sanguis non possidebunt regnum Dei* – ut testatur 1 Cor 15, 50. Caro enim, ad mentem Tertulliani, non declaratur corpus hominis, sed opera mala in vita terrestri commissa. Corpus novum angelicum erit: *Dominus omnes in se credentes Sancti Spiritus semine a mortuis rursus gloriosos in angelos excitabit*⁵⁵. De corporibus, quae spiritalia ex carnalibus effecta sunt iam apud Origenem⁵⁶, Lactantium⁵⁷ et Hilarium⁵⁸ legimus, erat enim argumentum crebre a Patribus agitatum. Questionem cum qualitate coniunctam, id est corporum post resurrectionem identitatem tractaverunt haud pauci Patres, peculiari quodam modo IV saec. Ut exemplum adducimus locum quendam Hilarii: *secundum Dei voluntatem resurgentium corporum instauratio est futura. Prout enim ei placet... confracta reparabit, non ex aliqua, sed ex veteri atque ipsa originis suae materiae speciem illis complaciti sibi decoris impertiens: ut corruptibilium corporum in incorruptionis gloriam resurrectio, non interitu naturam perimat, sed qualitatis conditione demutet. Non enim aliud corpus, quamvis in aliud resurget... Fit ergo demutatio, sed non affertur abolitio*⁵⁹.

Diligens fontium Christianorum examen in lucem ponit Zenonem studuisse ut traditioni orthodoxae fidelis maneret. Plane Lactantium et Tertullianum in deliciis habuit. Irenaei Hilarii que Pictaviensis opera quoque influxum doctrinalem in Zenone exercuerunt. Ut videtur per hos scriptores sententiae ceterarum Christianarum auctoritatum (e.g. Clementis Alexandrini, Iustini) vim in Zenone habuerunt.

⁵³ Cfr Tert., *res.* 52, 12–16; apud Zenonem *tr.* I, 2, 25.

⁵⁴ Gregorius Nissenus hanc quaestionem agit in opere quod inscribitur *De anima et resurrectione*.

⁵⁵ Zeno, *tr.* I, 2, 26.

⁵⁶ Cfr Orig., *in ps.* 1, 5.

⁵⁷ Cfr Lact., *inst.*, VII, 6, 1: *ideo colimus, ut immortalitatem pro laborum mercede capiamus, quoniam maximis laboribus cultus dei constat; ideo praemio immortalitatis adfcimur, ut similes angelis effecti summo patri ac domino in perpetuum seruiamus et simus aeternum dei regnum* (BT 2009, p. 668).

⁵⁸ Cfr Hil. Pict., *in Matth.* V, 11.

⁵⁹ Idem, *in Ps.* 2, 41 (SCh 515).

5. Hereditatis classicae vestigia

Nonnullae et magni momenti sunt apud Zenonem cum litteris philosophiaque classica necessitudines. Sub initio *tr.* I, 2 argumentum de philosophia adducitur, in quo Plato ad mentem Ciceronis⁶⁰, “sapientissimus” nuncupatur. Non est re vera documentum pro resurrectione probanda, sed pro animarum immortalitate: *Nemo est enim tam vel ab istius mundi sapientiae gustu ieiunus, qui audeat dicere animas cum corporibus interire, caelestia cum terrenis absumi, praesertim, cum eorundem ille sapientissimus dicat hanc esse mortem, cum corpore animus tamquam carcere clausus tenetur; illam esse veram vitam, cum idem animus custodia carceris liberatus ad eum locum, unde venerit, revertatur*⁶¹.

Si id sine verbis praecedentibus subsequentibusque legimus, magis argumentum pro animarum praesistentia, quam pro resurrectione probanda esse videtur. In lucem ponendum est Zenonem philosophum paganum auctoritatem esse agnoscere.

Non solum Plato sed etiam poeta Vergilius a Zenone “sapientissimus” nuncupatur. Vim sapientiae eius vox “praesagavit” restringit: *etiam poeta sapientissimus praesagavit*⁶². In *tr.* I, 2 sex laudationes ex Vergilio inveniuntur, inde respondendum est, utrum solummodo ut litterarium ornamentum adhibitae sint, an auctoritatis vim habuerunt. Zeno quater mentionem facit de libro VI *Aeneidos*, qui descensionem poetae in infernum et cum mortuis occursum celebrat. Semel *Georgicon* liber laudatur dum exemplum ex natura adducitur. De ipsa textuum selectione intellegi potest episcopum Veronensem plus quam sola oratoria ornamenta dicendi ex poeta mutuavisse.

Prima laudatio in *tr.* I, 2 sermonis Zenonenis invenitur. *Placidiae sedes*⁶³ ex querela Palinuri depromuntur qui gubernator *Libyco nuper cursu, dum sidera servat, / exciderat puppi mediis ecfusus in undis*⁶⁴. Cum non esset sepultus, non valuit Stygiam paludem transire. Manet ideo post mortem inquietus. Imago penes Zenonem servatur, mutatur doctrina, mutatur et causa ob quam placidae sedes consequi non possunt.

Alia Vergilii vestigia in *tr.* I, 2, 4 reperimus, ubi poetae laudibus extolluntur quippe qui recte *duplicem viam apud inferos ponunt: impiorum unam... piorum aliam*. Re vera legimus in libro VI *Aeneidos*:

⁶⁰ Cfr Cic., *lael.*, 7.

⁶¹ Zeno, *tr.* I, 2, 2; cfr Cic., *pro Scaur.*, 3, 4 et Lact., *inst.* VII, 8, 6.

⁶² Zeno, *tr.* I, 2, 26.

⁶³ Verg., *aen.* VI, 371 (Conington, 484): *sedibus ut saltem placidis in morte quiescam.*

⁶⁴ Ibidem, VI, 338–339 (Conington, 461).

*Hic locus est, partis ubi se via findit in ambas:
dextera quae Ditis magni sub moenia tendit,
hac iter Elysium nobis; at laeva malorum
exercet poenas et ad impia Tartara mittit*⁶⁵.

Sunt verba Sibyllae ad Aeneam. Discriminis causa his verbis declaratur *quisque suos patimur Manes*⁶⁶: sunt verba Anchisae, Aeneae patris, filio sortem animarum beatarum explanantis. Horum fragmentorum sensus similis doctrinae Christianae videtur. Contextum autem alterius sententiae ad animarum transmigrationem (metempsychosen) adtinet.

Descriptio stellarum labentium⁶⁷ ex libro *Georgicon* adducitur, ubi stellae labentes describuntur: *saepe etiam stellas vento impendente videbis / praecipitis caelo labi, noctisque per umbram flammaram longos a tergo albescere tractus*⁶⁸.

Alia ex Aeneide mutuatio invenitur in *tr. I, 2, 26*: *igneus est ollis vigor et caelestis origo / seminibus*⁶⁹. In verbis praecedentibus subsequentibusque Zeno doctrinam de anthropologia hominis vel potius de eius eschatologia exponit. Elementum praecipuum corporum Christianorum (non omnium hominum!) Spiritus sancti semen esse episcopus docet. Hoc semen, ad mentem Zenonis, pignum sit immortalitatis et resurrectionis. Vergilius vero in loco relativo philosophos stoicos sequi videtur, ad quorum mentem *Logos* – Ratio omne mundi elementum, homines inclusos, penetrat atque gubernat⁷⁰. Ratio autem stoicorum homines ab morte non servat. Quapropter Vergiliana verba mutuantur sed sensus eorum a Zenone mutatur.

⁶⁵ Ibidem, VI, 540–543 (Conington, 484), cfr. Plato, *Gorgias* 524 A.

⁶⁶ Verg., *aen.*, VI, 743 (Conington, 511); cfr. Zeno, *tr. I, 2, 4*. Doctus vir Ioannes Baptista Pighi hoc modo mentem eschatologicam Vergilii declarat: *animas post mortem corporis manes fieri (...), purgatos autem manes animas esse: animas igitur et in corporibus vivere et in corpora reverti posse, manes mortuorum alicubi consistere donec maculis passionum elutis animae rursus fiant. (...) sanctissimae animae nec in manes mutantur, nec alium corporis carcerem patiuntur, sed a mortuo recta ad Deum revolant*, cfr. I. B. Pighi, *De libro Aeneidos*, 52–53.

⁶⁷ Zeno, *tr.*, I, 2, 17: *stellae praecipites labuntur e caelo et a tergo longo flammaram albescentium tractu funerae facis solemnitate in occasus suos quasi quibusdam deducuntur exsequiis*.

⁶⁸ Verg., *georg.* I, 365–367 (Conington 1858, 182), cfr. Zenonis *tr. I, 2, 17*.

⁶⁹ Eiusdem auctoris *aen.* VI, 730–731 (Conington, 509).

⁷⁰ Cfr. S. Oppermann, *Stoa*, col. 377: „der Logos, definiert als feinste Materie = feuriges πνεῦμα, durchzieht – διήκει – die ganze Welt, und so auch jeden Menschen. Die stoische Philos[ophie] ist monistisch; außer dem Logos gibt es kein wirkendes Prinzip“.

Novissima cum Vergilio necessitudo postrema in parte sermonis locatur⁷¹. Beatae sedes, de quibus apud Zenonem legimus, penes Vergilium campos Elyseios denotant ad quos Aeneas pervenit: *Devenere locos laetos et amoena virecta / fortunatorum nemorum sedisque beatas*⁷².

In lucem autem ponendum est plurimum interesse inter doctrinam Vergilii et doctrinam Christianorum “de novissimis”. P. Vergilius Maro enim sane metempsychosem id est animarum transmigrationem professus est, de qua iam Pindarus, Plato et alii scripserant⁷³.

Vergilii locutiones dictaque, auditoribus antiquis nota, a Zenone adhibita vim immaginationis auditorum excitabant. Immo, nonnullas necessitudines inter poetas gentiles et Evangelium esse sane demonstrant.

6. Notiones de stilo et arte rethorica

Plura de Zenonis scribendi ratione apud curatorem editionis criticae, Bengt Löfstedt, invenimus⁷⁴. Lustrantibus nobis tractatum-sermonem I, 2 saepenumero imagines occurrunt, verbis vividis significantibusque, ut ita dicam, depictae. In numero horum descriptionum est exemplum spirituum inmundorum (v. 5–6), falsi viduae luctus (v. 13–14), stellarum labentium (v. 17), solis cursus (v. 18) frumenti grani (v. 22), oleastris (v. 27). Excellens quoddam specimen Latinitatis praebetur in exemplo lunae:

*Luna quoque, quae vere rationis humanae omnia in se lineamenta depingit, nata sanguineae teneritudinis dubio cornu primo quasi de cunis apparet paulatimque crescendo iam puella, iam virgo pro cotidianae aetatis incremento progrediens lascivi cursus ambagibus carpit pensa mundana. At ubi matura aureo igne flagrantis luciflui aurigae par laboribus fratris angusti circuli argenteum compleverit globum, paulatim devertit in senium, donec ultima senectute consumpta, sua morte revivescens, menstrualis ignis solemnem germinem accenso sumat rursus de fine principium*⁷⁵.

Locus more orationis solutae compositus pulchritudinem effectumque poeticum habet. Licet notas quasdam praecipuas ex hoc loco depromere. Primo

⁷¹ Cfr Zeno, *tr.* I, 2, 32.

⁷² Verg. *aen.*, VI, 638–639 (Conington, 499). Doctus vir Ioannes Baptista Pighi declarat: *In Elysio sunt animae, seu potius animarum in aeternum beatarum umbrae. Ut Tartarus totus terrenus est, (...) sic Elysium totum caeleste*; cfr I. B. Pighi, *op. laud.*, 45.

⁷³ Cfr S. Stabryła, *Wergiliusz*, 214–215 et: W. Burkert, *Seelenwanderung*, col. 120.

⁷⁴ Cfr CCSL 22, 68 seqq.

⁷⁵ Zeno, *tr.* I, 2, 19.

aspectu patet fragmentum metaphoris conspersum esse, et sic luna apparet depicta rationis humanae lineamentis, nata est sanguineae teneritudinis dubio, in diem fit puella, virgo, matura deinde mulier. Inter figuras reperis et assonantiam: *accenso sumat rursus*; anaphoram cum gradatione: *iam puella, iam virgo*; hyperbaton: *argenteum compleverit globum*; vocem poeticam: *luciflua*. Zeno crebro cursum adhibet, pleroque planum, e. c: *...linea-menta depingit, ...pensa mundana, ...fine principium*; et dispondaicum: *morte revivescens*.

Deinde, invenis in eodem sermone gradationem cum sillabarum crescente numero: *iam pura, iam libera, iam a conversatione mundi huius extranea* (2–3–4 sillabae; v. 25); figuram etimologicam: *discoloratur per momenta color* (v. 6); locutiones invenis pleonasticas, ut: *vana spe si captus fuerit caduca atque carnali* (v. 24), *misero, fragili detestabilique versatur in iure* (v. 25), *semper in tribulatione, semper iustus in poena est* (v. 31); periphrasin: *blandum animae venenum id est corpus* (v. 30). Cum etenim sermoni insint fragmenta quaedam obscura difficiliaque declaratu, ut exemplum speculi: *Caro, fratres, quasi quoddam est speculum intuentis plenitudine gravidatum, quod non tam imaginem suam quam eius, cuius est in usibus, gerit* (v. 29), hae omnes imagines atque figurae, sapienter adhibitae, praebent homiliam fluentem et ad audiendam iucundam.

7. Quid de resurrectione in praefationibus⁷⁶ et “Tractatibus Paschae”⁷⁷ legimus

In his brevibus textis dies Paschatis laudibus ab episcopo extollitur velut momentum quo tempus aeternitati iungitur, quapropter Christi resurrectio fit resurrectio eorum qui in Vigilia Paschali baptizantur. Baptizati resurgunt spiritaliter in tempore, ut in aeternitate et corporaliter resurgant. *Tractatus* I, 42 totus est huius spiritalis regenerationis exuberans laudatio. Animadvertendum est Zenonem de resurrectione futura ut de praemio tantum salvatis reservato agi: [dies Paschatis] *munus futurae beatitudinis pollicetur*⁷⁸; *resurrectionem futurae beatitudinis pollicetur*⁷⁹; *Vetus enim homo vester feliciter condemnatus est, ut absolveretur, sacri gurgitis unda sepultus, ut sepulcri nido vivificatus resurrectionis iura gustaret*⁸⁰. Zeno docet Magnam Noctem Paschalem praesentem facere et

⁷⁶ Ibidem, I, 16; I, 44.

⁷⁷ Ibidem, I, 42; I, 57; I, 58; II, 29.

⁷⁸ Ibidem, I, 47.

⁷⁹ Ibidem, I, 58.

⁸⁰ Ibidem, II, 29, 1.

historicam Christi resurrectionem et futuram Christianorum pollicetur resurrectionem.

Quod lexicum adinet Zeno usurpat vocem *surgentes* in Baptismatis descriptione, poetico afflatu praedita: [neophytas] *iam nunc felix invitat occasus, ut sacri oceani lacteo profundo demersi, surgentes inde novelli novella iam die, sua luce radiantes nobiscum possint immortalitatis per aerium tramitem cursu servato ad repromissionis tempus, ubi in perpetuum quis oritur, pervenire*⁸¹.

Summarium

Ad quod Zeno animum intendit in resurrectione praedicanda? Ad hominis futuram resurrectionem; de Christi resurrectione tantum mentionem facit.

Quid de tractatus I, 2 dispositione dici potest? Vestigia dispositionis classicae in eo nanciscimur, sed sermonis partes non sunt evidenter designandae.

Quibus exemplis usus est? Zenon adhibet exempla e ratione, e natura, e philosophia, nec non Sacra e Scriptura. Paucis exemplis e litteris classicis depromptis utitur, rationes stricte Christianas econtra praefert. Seriem rationum ad resurrectionem futuram credendam Zeno ex *Epistula ad Corinthios* Clementis Romani haurire videtur. Quaestio ad perscrutandum aperta manet, utrum id directe an Tertulliano mediatore fecit.

Quae classicarum litterarum vestigia apud Zenonem invenimus? Auctor sexies Vergilium laudat, praecipuae librum VI *Aeneidos*.

Quid de resurrectione futura docet? Quaestiones philosophicae, e. g. corporum futura qualitas minime agitantur. Rationes pro resurrectione confirmanda cum rationibus pro animae immortalitate miscentur. Duplex quaedam significatio resurrectionis futurae apud Zenonem distingui potest. Prima significatio denotat statum omni ex parte perfectum, aeternam scilicet cum Deo felicitatem, qua hominis anima una cum corpore vivit. Hoc modo resurrectio praemium esse videtur. Altera vero significatio designat corporis restitutionem ad iudicium subeundum. Sine ea distinctione haud facile intellegitur cur Zeno interdum quidem in lucem ponat universalem corporum resurrectionem (id est sensum ontologicum resurrectionis), interdum vero adfirmet, quod solummodo iusti resurrectionem consequantur. Sors vero eorum qui condemnaturi sunt non explanatur.

⁸¹ Ibidem, I, 44.

Conspectus Bibliographicus

1. Fontes

- Cicero, *Pro M. Aemilio Scauro* (BT 25A).
 Cicero, *Laelius* (BT 47).
 Hilarius Pictaviensis, *In evangelium Matthaei commentarius* (Sch 254).
 Hilarius Pictaviensis, *In Ps. 2*, in *Tractatus super Psalmos* (Sch 515).
 Irenaeus Lugdunensis, *Adversus haereses* (Sch 210; 211).
 Iustinianus, *1 apologia* (Sch 507).
 Lactantius, *De ave phoenice* (CSEL 27).
 Lactantius, *Epitome divinarum institutionum* (Sch 335).
 Lactantius, *Institutionum divinarum libri septem* (BT 2009).
 Minucius Felix, *Octavius* (CSEL 2).
 Origenes, *Super psalmos* (PG 12).
 Origenes, *Homilia in 1 Regum* (GCS 33).
 Plato, *Gorgias* (*Platonis Opera*, SCBO, t. III, tetr. VI).
 Tertullianus, *De anima* (CSEL 20).
 Tertullianus, *De carne Christi* (Sch 216).
 Tertullianus, *De resurrectione* (CSEL 47).
 Vergilius, *Aeneis* (ed. J. Conington, H. Nettleship Virgil, *P. Vergilii Maronis Opera*, vol. II: *The First Six Books of the Aeneid*, London 1863).
 Vergilius, *Georgicae* (ed. J. Conington, *P. Vergilii Maronis Opera*, vol. I: *Eclagues and Georgics*, London 1858).
 Zeno Veronensis, *Tractatus* (CCSL 21).

2. Commentarii

- Bigelmair A., *Allgemeine Einleitung*, in *Des heiligen Bischofs Zeno von Verona Traktate (Predigten und Ansprachen)*, München 1934 (Bibliothek der Kirchenväter, 2. Reihe, Band 10), 20–25.
 Burkert W., *Seelenwanderung*, in J. Ritter, K. Gründer e.a. (edd.), *Historisches Wörterbuch der Philosophie*, Basel 1996, t. 9, col. 120.
 Danielou J., *La Résurrection*, Paris 1969.
 Grass H., *Auferstehung*, in *Historisches Wörterbuch der Philosophie*, t. 1, p. 606.
 Jeans G., *The Paschal Liturgy in Zeno of Verona*, *Studia Patristica* 18, 2 (1989), 375–379.
 Mantello F.A.C., Rigg A.G., *Medieval Latin: An Introduction and Bibliographical Guide*, [s.l.] 1996.
 Oppermann S., *Stoa*, in K. Ziegler, W. Sontheim, H. Gärtner, *Der kleine Pauly*, t. V, München 1979, col. 377;
 Pighi I. B., *De libro Aeneidos VI quae est catabasis Aeneae*, Romae MCMLXVII.

- Simonetti M., Zenone di Verona, in *Nuovo Dizionario di Patristica e Antichità Cristiane*, cur. A. di Bernardino, Genova–Milano 2008, t. III, coll. 5707–5708.
- Sołomieniuk M., *Chromacjusz z Akwilei i Zenon z Werony o zmartwychwstaniu*, *Studia Gnesnensia* XXVI (2012), 45–67.
- Sgreva G., *La teologia di Zenone di Verona. Contributo per la conoscenza dello sviluppo del pensiero teologico nel Nord Italia (360–380)*, Vicenza 1989.
- Stabryła S., *Wergiliusz. Świat poetycki*, Wrocław–Warszawa–Kraków 1983.
- Truzzi C., *Zeno, Gaudenzio e Cromazio. Testi e contenuti della predicazione cristiana per le chiese di Verona, Brescia e Aquileia, 360–410 ca*, Brescia 1985.
- Väänänen V., *Introduzione al latino volgare*, Bologna 1982.